



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1100. Usque Ad Annum 1143

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1762

VD18 90117999

§. 13. R. Anselmus Henrico Redi favet.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66385](#)

Sæcul. XII. ad Episcopatum promoverent. Nem-
A C. 1101. nem vero, inquit, nominatim vobis com-
mendo.

§. XIII.

S. Anselmus Henrico Regi favet.

*Edmer. 3.
Novor.*

In Anglia induciæ, usque ad Pascha anni millesimi centesimi primi datæ, usque ad redditum Legatorum, Romam in causa Investituræ missorum, prorogatae fiterant. Inter hæc vero ad Festum Pentecostes totam aulam ingens consternatio turbavit, cum afferretur nuncium, Robertum, Ducem Normanniaæ, in Angliam appulisse. Jam prius enim nec Rex Henricus Regni Principibus, nec Principes Regi fidebant. Metuebat Rex, ne a se deficientes Fratri suo jungerentur, contra timebant Proceres, ne Henricus, si semel in pace & sine æmulo regnaret, eis suo arbitrio dominaretur, & divisos oppimeret. Utraque Pars fiduciam in solo Anselmo posuerat. Quare ipse nomine Procerum populique Regis promissum recepit, quod eos secundum Sacras Justitiæ Leges regere vellet.

At postquam Dux Robertus in Anglia fuit, Proceres datæ Fidei immemores, eum Regem sequi meditabantur. Jamque Rex Henricus intelligebat, se non de Regno modo, sed etiam de vita periclitari; ergo ad Anselmum conversus polli-

pollicebatur ei liberrimam potestatem, Sæcul. XII.
 qua omnibus juribus Ecclesiasticis in An- A.C. 1101.
 glia uteretur, præterea se nunquam non
 Papæ præceptis obsecuturum esse. An-
 selmus, convocatis omnibus Principibus,
 in conspectu totius exercitus, quem Rex
 in Fratrem ducebat, tanta dicendi vi
 proposuit, quantum Deus, omnesque bo-
 ni illos semper abominati fuerint, qui ju-
 ratam solemni ritu Principi suo fidem
 violarent, ut omnes uno ore exclamave-
 rint, se pro Rege suo sanguinem & vi-
 tam datus. Ita Robertus, sive, quam
 in defectione Principum posuerat, abje-
 cta, Excommunicationis fulmine, quod
 in eum tanquam alieni Regni usurpato-
 rem intorserat, perterritus, pacis condi-
 tiones cum fratre iniit, & pedem re-
 tulit.

§. XIV.

Epistola Summi Pontificis contra Inve- stituram.

Nemo dubitabat, quin Rex Henricus Pasch.ep.96.
 aliquod grati animi pignus Anselmo to. 10. Conc.
 daturus esset, cum ipsum ad se venire ex Eadm.
 jussit, ut de causa Investituræ colloque-
 rentur. Nam Romam missi redierant,
 allata Paschalis Papæ epistola, in qua ad
 Regem dicebat: *Petis ut tibi Episcopo-
 rum Abbatumque per Investituram consti-
 tuendorum Jus & facultas a Romana in-
 dulgea-*